UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1860

XVII. Markgraf Woldemar ertheilt dem Kloster Marienwalde das Recht, die Stauung im See Pritzen beliebig zu erhöhen oder zu erniedrigen, am 25. Januar 1318.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55515

Visual Library

minis cedit cum pleno fructu et vtilitate ex integro, conditione Inuiolabili omni occasione postergata perpetualiter obtinendum. Et si ante nominati filii mei post mortem meam se in bonis procedent diuidendos, Quicunque ex tunc partem suam, quam habuerit in Redentin, vendiderit, pars eius si quam obtinuerit in molendino sepius prefatis dominis meis cum omni Justicia est deriuatura. Hoc mei et proprii sigilli munimine ac cautione testium solicitius communiui. Testes vero sunt Abbas in Marienwalde frater Michael, cuius signaculum et est appensum et eiusdem loci frater Woltherus, prior, Atque Theodericus de Cammis, Insuper Jo. de dossau, Arnoldus Sac et Heinricus Merkist, testes. Datum anno domini M°. CCC°. XVII°., in die Exaltationis sancte Crucis.

Aus dem Marienwalder Copialbuche. Fol. 99.

XVII. Markgraf Woldemar ertheilt dem Kloster Marienwalde das Recht, die Stauung im See Pritzen beliebig zu erhöhen oder zu erniedrigen, am 25. Januar 1318.

Ad geste rei memoriam perpetuam Nos Woldemarus, dei gratia Brandenburgensis et Lusatie Marchio, Recognoscimus publice in hiis scriptis, Quod ob reuerentiam omnipotentis Dei et salutem animarum nostre et progenitorum nostrorum ad emendationem Claustri Marienwolde dedimus et per presentes literas donamus fratribus presentibus et futuris, ibidem Deo famulantibus, liberam facultatem faciendi Inundationem stagni Prytzen, que vulgo dicitur Stawinge, in longum et latum ad quedam stagna adiacentia et ad riuulos influentes. Poterunt quoque predicti fratres, presentes aut futuri, vt dictum est, absque omni Impedimento et vara ac grauamine predictam Inundationem augmentare, diminuere, provt ipsorum necessitas seu vtilitas exigit et deposcit. Hoc etiam addito, quod ipsi fratres, partem Inundationis, que de ipso Stagno Prytzen effluit, possint effodere et deducere in ipsorum bonis et pro vtilitate sue ecclesie, sine omni impedimento et obstaculo quolibet, vel vt magis commodius et vtilius videbitur expedire. Et vt huiusmodi donatio, deuota mente per nos rite facta, perpetuum vigorem obtineat, presentes in huius rei testimonium dari jussimus literas et nostro sigillo communiri. Testes quoque sunt nostri fideles, Nobilis vir Guntherus, Comes de Keuernberg, Hasso de Wedele, Rodolphus de Liuendal, milites, Heinricus Steindalgensis Ecclesie Decanus . . . . . et Ebirhardus, Grandzoyensis et Stolpensis prepositi, Hermannus de Luchawe, nostri Cappellani cum pluribus fidedignis. Actum et Datum Templin, Anno domini M°. CCC°. decimo octauo, Die Conuersionis Sancti Pauli Apostoli.

Aus dem Marienwalder Copialbuche. Fol. 113.